

ARTICULUS IX.

Sententia Paganorum cum Hebrais consonantia.

rum prorogationem esse causatus; si quid autem vellet sibi gratum præstare, curaret ut uxorem suam, quam lectam reliquerat, conveniret, & si forte natum ex ea filium intelligeret, feminam rogaret, ut filium ipsum ad offerendas pro Patre preces instrueret in hanc formulam: Benedicite Dominum, & sit ille benedictus. Filium Akiba natus circumcissione initiavit, docuitque Deum rogare; duxit ad Synagogam, & vix puer ille precem in illa verba concepit, Benedicite Dominum, & sit ille benedictus in sacula saculorum, Pater & Purgatorii flammis liberatus, per visum sese offerens Akibæ, de præfatio sibi pietatis officio grates Rabbino egit quam maximas.

Sabbati dies gratiarum est & indulgentiæ animabus Purgatorii, si Judæos audias; omnes enim poenæ eâ die suspenduntur. Cui dogmati fidem recusanti alicui, Rabbini ad sensum demonstravit, nullum eâ die fumum & tumulo Patris sui efferrî ostendens. Indulgentiæ est pariter dies solemnî Expiationis sacra; cum enim precibus multas horas impendant Judæi, plurima exerceant poenitentiae opera, plurimum id pariter solaminis afferri miseris illis opinantur. Rationes etiam eâ die singularum animarum supputat Deus. Persuasum est autem Judæis, animas illas in loco Expiationis non nisi 12. mensium spatio perseverare; 12. inquam, mensium, non anni, quod scilicet annus 12. interduum mensibus, sicut intercalariis accidit, constet.

Est autem Purgatorium, dicunt illi, in Gebenna superiori, quam etiam appellant sinum Abrahamæ, thesaurum viventium, hortum Eden. Infernus est autem in Gebenna inferiori; in duos enim gradus distinguunt Infernum (r). Tenent pariter, Israelitas omnes partem habere in futuro seculo (s), nempe in beatitudine, quod statim post obitum, vel saltem post expiata in Purgatorio crimina recipere. Hanc falsam illorum persuasionem reprobasse, credunt Interpretes nonnulli Jesum Christum in illo Matth. 12. 32. Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saculo, nec in futuro; sicut & in altero Matthæi 3. 9. ubi futurum protestatur Jesus, ut nihil illis proficit quod filii sint Abrahamæ, quo à meritis in altera vita poenis eximantur.

1 Vide Vindec. de vitâ sanctor. statu sect. 8. in Talmud frequent.

At nequam extrema manus huic Differtationi imponatur, animadvertere opere pretium duco, quanta sit sententiarum affinitas inter veteres Hebræos, & Priscos & Gentilibus Poetas, atque Philosophos. De immortalitatis animarum dogmate communis erat persuasio, non apud Chaldæos tantum, Ægyptios, Hebræos, Indos, atque Orientales cæteros, sed apud Latinos pariter & Barbaros, ut tanquam communis generis humani persuasio jure meritoque possit haberi: Cum de animarum aternitate differimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium Inferos, aut colentium. Utar has persuasiones publicâ, ait Seneca Epist. 2. c. 1. Reputant illi animam, tanquam portionem quandam & dimanationem sive favillam divinæ substantiæ (t); automarunt virorum mortem ab Apolline induci, mulierum à Diana (u). Quæ sanè congruunt cum persuasione Hebræorum de Angelo mortis. Tenuerunt, certa manere in altera vita, sive præmia, sive supplicia. Quæ Essenii de Paradiso & Inferno stetit sententia, congruit cum opinione Ægyptiorum (x), quam sibi adoptarunt Homerus (y) & Græci.

Gigantes aquarum pondere oppressi, audacissimi moliminis poenas luentes (z), ipsi ferè coloribus apud Prophanos (*) ac apud sacros Scriptores pinguntur.

Hæc genus antiquum terra Titania pubes Fulmine dejecti, fundo volvantur in imo.

Judicium apud Inferos Minois & Radamanti (†) respondet Dei in mortuos iudicio. Metempsychosis sententia, longè latè que in Oriente, & Græciâ pervagata, communis erat pariter, & ejusdem ferè systematis apud Pharisæos, ætate Josephi. Mercurius animas deducens post obitum ad Inferos, expressus est ad imitationem dogmatis Judaici de Angelo Michaelis ad iudicium Dei animas sistente. Purgatorium Judaicum occurrit etiam in scriptis non Barbarorum tantum, sed & Græcorum & Latinorum, sive in opinione metempsychosis, qua anima ex alio in aliud corpus expiandæ traducuntur, sive cum animabus multa toleranda docent, ut tandem ad Insulas fortunatas & Elyfios campos perveniant.

1 Ita Plato in Phædone, Phælo de mundi opif. Cic. de somn. Scipion. Virgil. Ovid. Horat.

u Homer. Iliad. & Odyss. plus semel. x Diador. Sicul. l. 1. pag. 58. seu 82. 83. 86. 87.

y Homer. Odyss. l. 10. & 24.

z Job 26. 5. * Virgil. Æneid. 6. Heos. Theogon. † Vide Tertull. Apolog. c. 47. Lact. Justin. l. 1. c. 20. Vide Homer. Plato. Virg.

2 Apud Origenem in Math. tract. 35. & Hieronymum in Matth. 27.



DISSERTATIO DE TENEBRIS IN OBITU JESU CHRISTI.

Inter potissima, in obitu Jesu Christi spectata, prodigia suum sibi vendicant locum tenebræ illæ, quæ solidò trium horarum spatio mundi facies obducta fuit à meridie adque tertiam horam vesperuntam. Tunc sanè nullæ intercedere poterant eclipfes, eâ anni tempestate, qua serenè maximè & purus regnat aer, in Palæstina potissimum, ac tandem eâ diei horâ, cum & Sol maximè fervet, ac vividiori lumine aerem collustrat. Hoc quidem prodigium spectatores non habuit raros, nec uno in loco factum est, sive parum celebri, sive ab hominum cognitione remoto. Tenebræ facta sunt super universam terram; totum nempe hemisphærum nostrum contexerunt; & cum Sol medium diurnum cursum emensus fuisset, quo scilicet tempore totam hemisphærii oppositi partem habebat tenebræ: idè jure meritoque super universam terram inductæ tenebræ illius eclipfis dicuntur; nisi fortè malueris, solemnî in Scriptura phrasî, universæ terræ nomine Palæstinam, & regiones finitimas designari.

Pervigilium tunc agebatur (vel fortè dies ipsa festa) solemnissimi Judæorum. Festi, cum scilicet undique Judæi Jerosolymam confluerant, Pascha celebraturi. Phenomenon est autem non momento temporis spectatum, quod brevitate suâ nec videri facile potest, nec causæ suæ pronum exhibet documentum. Tribus integris horis perseveravit, ut omnium oculis commodè exploraretur, omnium scilicet eâ ætate, qua nihil erat expendendis omnibus attentius. Quibus omnibus prodigii circumstantiis in unum collectis, ad eam certitudinis gradum res illa pertingit, ut alia in historiis nulla, vel rara.

Propositum est autem nobis in hac Differtatione naturam scrutari, causas, effectus, durationem, & amplitudinem celeberrimi hujus phænomeni, omnia expendent ad normam severioris criticæ, & veritatem adfruentes testimoniis Prophanorum Scriptorum apud quos de illo mentio.

Christiani nominis osiores quidam [a] contenderunt, tenebras illas in obitu Christi nihil fuisse aliud, quam eclipsem, quam rudes Christi Discipuli spectantes, rei maximè naturali prodigii gloriam vindicarint. Ipsi verò, qui talia objiciebant, argumentum Dissert. Calmer Tom. II.

tum præbebant inscitiae suæ, & præjudiciis occupati in res nostras animi. Cum enim Pascha Judaicum tum temporis ageretur, nullæ poterant esse in plenilunio eclipfes. Raræ sunt etiam totum solem discum obducentes eclipfes, quibus totam terræ faciem obumbrent tenebræ: parum durant plerumque, cum nostra tribus horis perseveraverit, & solis faciem universæ terræ interdixerit. Et ne forsitan videretur umbra terræ, vel orbis luna soli oppositus breves, & ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spatium ponitur, ut causantium occasio tolleretur, ait S. Hieronymus.

Paria observat Origenes in Matt. 27. tract. 35. addens insuper, Evangelistarum in referendo sinceritate factum esse, ut talia objicerentur. Habent quædam S. Lucae Exemplaria (b), terram tenebris nigricasse, deficiente sole: reponit autem ille, phrasim hanc deficiente solo deesse in optimis Exemplaribus; ut quæ illam præferunt, piam fraudem sentiant in docti cujusdam Christiani, qui substituendam censuerit perspicuitatis gratiâ; sive invidi cujuspiam & dolosi, qui hanc sibi calumniandi Ecclesiam ansam præbuit, quasi scilicet redarguens Evangelistas, obtrudentes eclipsem alieno maximè tempore. Utcumque autem res habuerit sese, constat, nulla modò Exemplaria hanc lectionem servare: Deficiente sole. Legitur in nonnullis, & in omnibus S. Lucae: Et obtenebratus est Sol.

Idem Origenes (c) perhibet, viros quosdam hujus sæculi sapientes aliud habere, quod veritati hujus prodigii opponant. Qui fieri potuissent, inquirunt illi, ut patens aded & supra fidem prodigium nemini nisi Christianis innotuerit, non Græcis, non Barbaris ullis Scriptoribus, non publicis Annalibus, non similis generis fabellas digerentibus? Sunt ista quidem per se valida; multò autem validiora, quod eâ Origenis ætate recens adhuc memoria ejus rei perseverare potuisset, cum nonnisi 180. annis post Christum Origenes floreret (d). Hoc planè silentium rei veritatem revocat in suspitionem, atque de Evangelistarum fide minus recta sentire homines cogit.

Duo ad hæc reponit Origenes; 1. Fieri potuisse, ut tenebris illis non tota quidem universi facies, sed Jerosolyma tantum

b Omnia Græca exemplaria habent: Et obtenebratus est Sol. Quod tantundem ferè est, ac: Deficiente Sole.

c Ibid.

d Obijt J. C. a. 33. Aetæ Vulg. & Origenes obijt a. 185. J. C.

& circumjacentis regionis tegetur. 2. Mentionem de illis occurrere apud Phlegontem Paganum Scriptorem. Ego verò, addit, illud reputaverim, ut, quemadmodum cetera in obitu Christi prodigia non nisi Jerofolyma spectavit, ibi enim scilicet est velum Templi, ibi rupes contracta, aperta sepulchra; ita pariter tenebris non nisi Judæa vel fortè Urbis Jerofalem obduceretur; nec enim novum est in Scriptura, ut universæ terræ nomine Judæa designetur (e). Non est igitur, cur à Paganorum Authorum silentio finistri aliquid de Evangelistis suspicemur.

c. 3. Reg. 18. 10. Non est Gens aut Regnum, quod non miserit Dominus meus te requirere. Luc. 2. 1. Exiit Edictum à Cesare Augusto ut describeretur universus Orbis.

f. Exod. 10. 21. 22.

Meminit quidem, addit ille, Phlegon in Annalibus eclipfis cujusdam sub Tibertio; sed in plenilunio contigisse silet. Quid est autem monstri, si extra plenilunii tempus spectetur eclipfis? Si pergant, & urgeant, prosequitur Origenes, Unde ergo tenebræ nisi ex eclipfi? Reponit ille, sermonem esse tantum apud Evangelistas, de tenebris terræ faciem tenentibus, nihil de sole, sive eclipfi; unde facilis conjectura, opacissimarum nubium obiectu solares radios prohibitos, ne Judæam, sive Jerofalem collustrarent.

Nec abs re censet, tenebras illas ejusdem esse causæ ac Egypti tenebras sub Moysæ (f), quibus caligo offusa est Egypto, regione interim Hebræorum præ lucis sereno fruente. Egypti tenebræ tri-duo durarunt; tenebræ Jerofalem tribus tantum horis; prioribus illis nostris hæc preclusum est; sicut enim Moyses tenebras in Egyptum inducitur elevatis ad Cælum manibus Dominum invocavit; ita pariter Jesus Christus caliginem offusus in Judæam sive Jerofalem, manus suas extendit in Cruce ad populum ingratis vocibus clamantem: Crucifige, crucifige eum. Porro caligo ista, atra licet & obscura non nisi emblemate quodam designabat tenebras, in quibus hodie errare coguntur Judæi; præ lucis, è sole justitiæ derivata; serenum Ecclesiâ interim Christianâ hauriente. Hæc fermè Origenes.

Paschasius Radbertus in Matthæum 27. 1. 12. post relatum, suppresso tamen nomine, Origenis sententiam, defendit contra illum, tenebras in obitu Christi non Judæam tantum, sed universæ terræ faciem tenuisse; inductas verò illas non obiectu nubium inter solem & lunam, quemadmodum in Egypti tenebris sub Moysæ factum est, sed verâ & genuinâ eclipfi, quamquam contra naturæ leges; alienum est enim ab eclipfibus plenilunii tempus. Porro sol ipse, juxta phrasim S. Lucæ 23. 45. obscuratus est; quibus verbis satis determinavit ambiguas aliorum Evangelistarum voces (g): Tenebræ facta sunt super universam terram. Rectâ inde consecutione deducitur, lumen suum negasse tunc Cælum mundo universo, ut ad literam impleretur illud Amos 8. 9. Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Assertores ejus rei laudat Orosium, Phlegontem, & Dionysium Areopagitam; apud quos de tenebris in obitu Christi mentio.

g. Matth. 27. 45. Marc. 15. 3.

S. Chryostomus hom. 89. in Matth. tunc primò factum censet, ut Jesus postulantibus Judæis signum de Cælo, in documentum missionis suæ [h], concederet. Ad Crucem & ad exitum usque vitæ expectavit, ut virtutis suæ argumentum exhiberet illustre. Tenebris universam terræ faciem obduxit, quemadmodum & in Egypto præstiterat, quo tempore primum Pascha celebrandum fuerat à Judæis, paulò ante quàm ex ea regione pedem referent. Nec prætereunda temporis circumstantia, quo prodigium illud spectatum est; merides enim agebat, quo tempore terra universa, vel saltem nostrum hemisphærium luce solis collustratur; qua prohibita, totam latè terram tenebris tenebris, universi oculos inusitatum prodigium attraxit.

h. Matth. 16. 1. Marc. 8. 11. Luc. 11. 16.

Nec ad eclipfem rem totam redigendam probat caliginis hujus sive duratio, sive etiam amplitudo. Parùm enim durat eclipfes, addit ille, nec mundum tenent universum. Nunc verò contraria omnia; trium horarum spatium tenebris per universam terram offusus datum est. Sed unde ad inusitatum hoc phenomenon tanta in hominibus stupiditas & incuriositas? Ejus rei causa rependienda est sive ex obfirmato, in malitia hominum corde, sive ex mortalium incuriositate & ignorantia. Aliis etenim de causa ne sciscitari quidem succurrit; alii rem totam deputant eclipfi, nihil ultra querentes; Judæi prodigii testes, sive alteri potius, quàm Jesu Christo, deputant, sive incuriosis oculis spectant hæc omnia, quemadmodum & cetera à Jesu Christo patrata prodigia. Breavioribus verbis eadem ingerunt Euthymius, & Theophylactus.

S. Gregorius Nazianzeno, S. Cyrillo Alexandrino, Theodoro, S. Hieronymo, & S. Hilario nec eclipfes, nec nubes probantur. Habent autem persuasum, solis ignem eâ occasione extingui fuisse, sive radios suos in se recepisse fulgentissimum astrum, ut sine luce, & sine fulgore, seu ludum ageret pro obitu Servatoris, seu horrorem præferret pro scelere & parricidio Judæorum. Tenebris nigricasse astrum scribit S. Gregorius Nazianzenus (i), ac deinde pristinam lucem resumpsisse; lumen ergo antea quodammodo extinctum erat. Lucem & radios in se continuisse, ait S. Cyrillus Alexandrinus [k], ne in terram illos mitteret.

i. Gregor. Nazianz. Orat. 42. ad finem. k. Cyrill. Alexandr. in Joel 2. pag. 230.

Sol non occidit, ait S. Hilarius de Trinit. 1. 3. c. 11. sed refugit. Quid refugisse dico? Non receptus in nubem est, sed de cursu operis defecit. Sensu doloris in obitu Servatoris sui tactum Cælum, & conceptum de scelere Judæorum horrorem cum alio argumento exhibere non posset, tenebris faciem in meridie suam obduxit, ait Theodoretus in Isai. c. 1. pag. 6.

S. Hieronymus in illud Joelis (l): Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magna, habet, solem non sustinentem aspiciere Dominum ex infami pendente patibulo, velasse faciem suam tenebris, &

l. Hieron. in Joel. 1. 2.

Iustus nocte mundum universum, velut ad lugendum invitasse. Tunc autem lunam velati in sanguinem trasmutatam fuisse, vel sanguineum prætulisse colorem, ut in eclipfibus; quamvis enim nihil tale expresserint Evangelistæ, hæc tamen oraculi Prophetici pars impleta non abs re crederetur.

Insinuat Tertullianus Apolog. c. 21. Solem radios suos veluti in se recepisse, nullâ licet nube aerem tenente. Dies statim defecit, sole licet medium diurnum cursum nondum transgrediente. Eodem momento dies, medium orbem signante sole subducta est. Pagani, addit ille, eclipfem reputarunt, ignorantes Prophetico id oraculo olim pronunciatum fuisse, in obitu Jesu Christi implendum. Quicumque ejus rei causam scrutati sunt, cum certam nullam deprehendissent, rem totam negarunt. Et tamen, ait, eum mundi casum velatum in arcibus vestris habetis. Rufinus pariter l. 9. c. 6. ita loquentem ad Paganos inducit S. Lucianum Sacerdotem Antiochenum & Martyrem ann. 312. Requirite in Annalibus vestris, inveniatis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem.

m. Serm. 51. de Pass. Dom. c. 2. Denarium horrore tenebrarum radios solis abscondit. Et serm. 59. qui est 10. de Pass. Dom. c. 5. Sol sideraque insolito defectu tenebras mundo vestra cœcitate ostendit. n. Augus. Epist. 199. c. 10. n. 34.

S. Leo (m) de hoc argumento: Denfis tenebris splendor solis obductus, extrordinaria nostri subdidit diem. Elementa omnia, addit ille alibi, obsequium suum Judæis negarunt: Nobis sol servitutem suam diemque subtraxit. Insinuat autem, non Solem tantum, sed & astra lumen suum in horrore argumentum pro obitu Christi negasse.

S. Augustinus, rationem prodigii relinquens intactam, prodigium tamen re ipsa agnoscit; cum enim plenilunium ageretur, nunquam sanè fieri poterat, ut deliquium sol pateretur (n). Censet autem, iisdem, quibus tunc offundebatur, tenebris mundum in obitu Servatoris, ipsis pariter in exitu mundi recurrentibus, Cælum & terram, juxta Oraculum Jesu Christi, offuscanda.

De ratione igitur hujus prodigii tres distingui possunt sententiæ. I. tenet interjectu lunæ solis radios prohibitos, ne terram collustrarent, ut in eclipfibus accidit: ita rem explicant Pseudo-Dionysius Areopagita, & Pagani Scriptores illi, qui apud Origenem, & S. Hieronymum invidiam creare satagunt, in Evangelium. Nec alia planè sedit opinio Phlegonti, & Thallo, rem illam narrantis, si certum constituamus, quemadmodum persuasum est Interpretibus omnibus post Origenem, Eusebium, Africanum, & S. Hieronymum, Scriptores illos mentionem egisse de tenebris in obitu Servatoris. Huc etiam referendi videntur S. Leo, & Paschasius Radbertus; ac tandem, teste Maldonato (o), Fere apud omnes jam Catholicos obtinuit.

o. In Matth. 27. Vide Corn. à Lapid. in eundem Matthæi locum.

Quid tamen recentiores isti Interpretes reponant auctoritati Origenis, S. Hieronymi, S. Augustini? Quid Astronomorum axiomatibus; quid sæculorum experientia; quid physicis rationibus, uno omnino Disert. Calmet Tom. II.

bus assensu negantibus, nec contigisse, nec potuisse pariter contingere, ut eclipfes inducerentur in plenilunio? Opponunt illi hæc omnibus auctoritatem. S. Dionysii, oculati nempe & coævi testis, afferentis suis se oculis eclipfem spectasse, cum in Egypto versaretur, factumque narrat miro divini virtutis prodigio, ut luna toto hemisphærio Soli opposita, retrogrado cursu delata, inter ipsum & terram se mediam constitueret: ita planè, ait, superior ætas vidit sub Ezechia, solem retrogrado cursu decem gradus remittentem, ut eo prodigio certum Regi illi receptæ valetudinis argumentum præberet. Judicium permitto Lectoribus, an sola Pseudo-Dionysii auctoritas tanta sit, ut tam ingenti, sed minus tamen necessario, prodigio adstruendo satis habeatur. Prodigium quidem agnoscimus, sed unicum, nec plura in uno cogimur fateri.

Secundam explicandi prodigii rationem statuunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus; atque inter Latinos Tertullianus, S. Hilarius, & S. Hieronymus, autumantes, solem radios in se suos lucemque recepisse, prohibito mortalibus omnibus, vel saltem Judæis lumine, juxta Oraculum Joelis 2. 10. & 3. 15. Sol & Luna obrebrati sunt, & stella retraxerunt splendorem suum. Quare ipse sibi deliquium astrum illud induxit, conditoque in se lumine cæteris omnibus tenebras affudit.

Hæc tamen non supra captum tantum, sed & impossibilia videntur; neque enim lumen adscititia est solis qualitas, ut pro arbitrio ducatur reducaturque: si lucem extinguat, ipsum se extinguere solem necesse est. Fulgidum est naturâ suâ astrum, necessario omnia collustrans, nisi obiectu corporis alicujus opaci emissi ab illo radii interceptantur prohibeanturque, ne terram pertingant, ut in eclipfibus spectatur, & cum aer densis quibusdam occupatur nubibus, vel crustâ quadam solaris discus veftitur. Cum igitur Scriptura & Patres continuisse astra lumen suum scribant, populari phrasi usos constat, qua sensu quodam tangi astra inducuntur, ut eorum absentia, sive affectum ab illis producendorum suspensio vividius sentiat.

Tertiam tandem opinionem adstruunt Origenes, Theodoretus, Euthymius, alique, tenentes, densæ alicujus nubis obiectu prohibitis radiis solaribus, quemadmodum & in tenebris Egyptiis factum. Hæc sanè commodior est, & facillior concipiendi prodigii ratio; quam proniorem efficies, si universa terra nomine Judæam tantum designatam agnoscas. Totum igitur prodigium in eo situm erat, ut promptè eâ anni tempestate, atque intempeftivâ maximè horâ, densæ illæ nubes inducerentur, quæ deinde non nisi post breve trium horarum spatium dissiparentur.

Si quis verò Textum Evangelistæ ad literam exponere voluerit, contendens, universa terra nomine totam hemisphærii nostri faciem, vel saltem maximam partem